



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-429562-p0001-4

DFG

Pri. 67 num. 1
1768, 26.

16

DISSE^TRATI^O IVRIS CIVILIS
DE
TRANSACTIONE
SVPER RELICTIS IN TESTAMENTO
TABVLIS NON INSPECTIS

P. 301

Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXIII. MARTII ANNO CICIOCCCLXVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVTOR ET RESPONDENS
IOANNES ERNESTVS GOTTLLOB STIEHLER
LIPSIENSIS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DISSESSATIO LVRIS CIVITATIS
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO
SPLR. RHICHTIS IN TESTAMENTO
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO
HILDEBRANDI TESTAMENTO
D. CHRISTIAO HLR. BREVIARIO
TESTAMENTORUM IN TESTAMENTIS
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO
IN TRANSACTIONE PETRINO
DIE XXII. MAYI. ANNO CCCLXXXII
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO
JOANNES ERNESTUS GOTTLORIUS SIBNER
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO
EX DISSESSATIONE
TRANSACTIONE IN TESTAMENTO

SCVRINATAE LIPSIENSIS
VIRO
ILLVSTRI MAGNIFICO
AMPLISSIMO IVRIVM
CONSVLTISSIMO
IACOBO HENRICO BORNIO
IVRIS CONSVLTO
DOMINO HEREDITARIO IN
WILDENBORN
SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE
A CONSILIIS
IN IVDICANDIS PROVOCATIONIBVS
EMPORII ELECTORALIS
LIPSICI
CONSVLI H. T. REGENTI

ATJOR ET RESPONDENCE



SCABINATVS LIPSIENSIS
A D S E S S O R I
DE REPUBLICA MERITISSIMO
P A T R O N O
OPTVMO MAXVMO
DOMINO HEREDITARIO IN
D. D. D.
SACRAE
SAXONIÆ ELECTORI
A CONSTITU
IN ADVICENDIS PROLEGATIONIBUS
HABENDI TUTIORIBUS
FIDES
CONSAVATI
AVTOR ET RESPONDENS.

VIR
ILLVSTRIS MAGNIFICE
AMPLISSIME CONSULTISSIME

PATRONE SVMMO STUDIO COLENDE

Quamquam *VIR ILLVSTRIS MAGNIFICE* ego haud dubitem, satis inuerecundum esse, inuenilem laborem meum, videlicet ingenii non satis perpoliti, iudicii parum acuti partum, *TVO MAGNIFICO ILLVSTRIS NOMINI* dicare, eundemque summae *VAE* tutelae commendare; tamen ingratissimus fuisset, nisi, cum primum potuisset, deuoti animi et ob *PATROCINII GRAVITATEM* et beneficiorum largissimam copiam, monumentum posuisse, meque meaque omnia simul commendasssem. Et cui sane magis me obstrictum sentiebam, quam *TIBI PATRONE SVMME?* Ingenui animi est, profiteri gratus accepta beneficia, eaque semper liberali animo recolere. Haec iusta causa est, quae, licet verecundiam laesisse videar in-

dignum laborem **TVO NÖMINI** adscribendo, mihi
tamen spem facit, fore, ut a **SVMMA TVA**, quae
est in Clientes **TVOS**, benevolentia, comitate singula-
ri, indulgentiaque maxima veniam sim impetraturus.
Accipe ergo hoc pietatis, reuerentiae gratitudinisque
documentum ea benevolentia atque gratia, quam omnes,
qui **TE** norunt, venerantur ac colunt. Plus tribuas
voluntati meae, quam documento ipso, quod quamquam
exiguum sit, tamen a summa gratitudine et pietate pro-
uenit. Precor **DEVM**, velit **TE** ad ultima seruare
tempora Patriae dulcissimae, cuius salus summa
TVA cura est, **TVA** vero salus sua sollicitudo. Pa-
ttere vero, ut per omne vitae tempus, summo **TVO** Pa-
trocino benignissime mibi frui liceat. Sum

TVO ILLVSTRI MAGNIFICO
AMPLISSIMO CONSVLTISSIMO
N O M I N I

Lipsiae
d. XXIIII. Martii
MDCCLXVIII.

ADDICTISSIMVS
IOANNES ERNESTVS GOTTLÖB STIEHLER
LIPSIENSIS,



DE
TRANSACTIONE SVPER RELICTIS
IN TESTAMENTO TABVLIS
NON INSPECTIS.

PRO O E M I V M .

 ARDVVM quidem in se est, atque iuuenis excedit
vires, de controuersia iuris aliqua materia con-
uenienter et docte scribere post tot eruditissi-
morum hominum Volamina, in quibus omnis
ingenii vis consumta, omneque iudicij acumen prope ex-
haustum; tamen temerarium magis est, eum suscipere labo-
rem, qui summos in arte iam exercuit viros, scilicet con-
trouersiam grauissimam aliquam recte decidere, quaeque
ab aliis scripta vel corrigere, vel refutare, vel feliciori in-
genio explicare. Ita sane inter tot controuersias ex testa-
menta-

❖ ❖ ❖

mentariis causis petitas, vna ex grauissimis mihi semper visa fuit, quae de transactionis vi super relictis in testamento tabulis non inspectis agitata est. Suas habuere meditationes pragmatici, suas denique hilarioris famae ICti. Dubitaui saepe, huncce meum facere laborem, atque vtriusque Iurisprudentiae, forensis et humanioris antistitutum iudicia atque interpretationes examinare et inter se conferre, atque si fieri potest decidere. Et dubitaui diu, quippe imbecillitatis meae probe conscius, qui mihi tam graui labori ipse impar videbar. At cum semel virium examen instituendum esset, confusus Grauiorum Virorum humanitati ei, quae ab iis semper et sperari et expectari solet, non amplius dubitaui: Immo putaui potius, me veniam facilius iuuenilis laboris a Beneuolo Lectore impetraturum, quam reprehensionem meriturum', si, quod metuo, expectationi eorum haud faciam satis. Ita ad ipsam rem.

I.

De natura et indole transactionis generalia quadam.

Differre transactionem a pacto, quamuis et transactione et pactum ad conuentiones tanquam ad summum genus referri debeant, satis cuique notum. Neque dubitandi causam dat Edictum Perpetuum, quo uno eodemque capite de pacto et transactione scriptum fuerat, ut est apud SCHVLTINGIVM ad Pauli Recept. Sent. L. I. T. I. §. I. n. I. De ea enim transactione egisse Edictum videtur, quae parti forma fiebat. Inde vero diuersitas tamen extitit inter vtramque illam conuentionem, quod Digestorum artifices obser-

obseruabant, qui separatis capitibus de pactis deque transactionibus agebant. Sicuti vero conuentio, solo consensu in idem placitum inita, pacti nomine compellabatur, ita conuentio de re dubia incertaque vel dato, vel prouiso, vel retento aliquo inita transactionis naturam constituebat. Iam ergo singularis conuentionum species est, quae suam habet definitam naturam, quae vero vel forma pacti initur, vel stipulatione sive simplici illa, sive etiam Aquiliana confirmatur. Iuramentum vero additum Transactioni, formam haud immutat, sed quam obligationem iam habebat transactionis pacti forma inita, metu diuini numinis irae, iuramenti vis augebat. Neque peculiaris forma transactionis est, qua ex causa innominati contractus eandem diuidicant. Omnis enim contractus innominatus in se nihil est, nisi pactum, cui tamen ex praescriptis illis verbis: do ut des, facio ut des, caet. obligatio robustior accedebat, ut vel dato, vel facto promisso ab una parte, adversus alterum, qui vel non dederat, vel non fecerat, ex his ipsis praescriptis verbis actio daretur. Abire ergo facile transactionis pacti forma inita poterat in innominatum contractum, simulac perfecta illa, unus transigentium suae promissioni fecerat satis vel dando, vel faciendo. Sed haec non nova forma transactionis, at agendi, quod deerat in ea, nouum remedium. Iam vero haud inquiero, an a transactione, quae dato vel praestito eo, quod transigendo promissum fuerat, in contractum innominatum abierat, recedi possit, si alter ex sua parte promissis non staret. Est enim hoc iuris in hoc contractuum genere, quae a dando initium capiunt, ut al-

❖ ❖ ❖

tero non adimplete obligationem, vel actio concedatur praescriptis verbis ad adimplenda promissa, vel poenitentia permittatur, instituta illa condicione *causa data, causa non servata.* Neque dubito, si haec quaestio ex Ciuiti Romato Iure decidenda, idem obtinuisse in transactionibus, quod nunquam fiet inter nostrates, quibus pacti vis tam sancta est, ut poenitentiae locum haud relinquant. Nihil vero de scriptura, quae super transactione conficitur addo, haec formam nouam haud inducit, sed probationem faciliorem efficit. Partem enim licet scriptura addatur, pactum manet, nec abit in litteralem contractum. Ita quoque de transactione sentiendum. Amplius conventionalem poenam, quae transactioni interdum accedit haud tango, quippe quae formam transactionis non mutat, potest enim illa conventionalis poena, vel pacto transactioni adiecto constitui, vel stipulatione promitti. De obiectis transactionis.

Diximus conventionem super dubia causa transactionem confidere. Est ergo obiectum *dubia incertaque res,* i.e. de cuius vel iure vel obligatione, an vera sit, vel de eius eventu nihil certi constitui potest. Iam vero, an de iis rebus transigere licet, quae quidem incertae dubiaque sunt, at mox certae liquidaeque fieri possunt, non aequem certum est. Putarem quidem, nihil obesse, quippe sufficere videtur, quod incerta dubiaque res sit tempore, quo transigitur. Sed de hac quaestione infra dicamus, cum simul praesente in nostram causam tangit, de qua

qua scripturi sumus. Dubia sit ergo causa: et in hoc, conventionis huius speciei differentiam quaerimus, ab aliis omnibus conventionum speciebus. Provocant Doctri Homines ad autoritatem **V L P I A N I** in **L. i. π. de transact.** Et recte. Nolle tamen generalem pacti illam defendere causam, quasi pacta tantum de liberalitate inirentur, non vero aequo onerosam recipere causam. Videtur potius indicare **V L P I A N U S**, nunquam transactionem fieri posse nisi onerosam habeat causam, pactum vero gratiosam habere posse. Sed haec ab aliis qui de transactionibus scripsere, ut **B O R C H O L T**, **S C I R I O N E G E N T I L I**, **G E R H . N O O D T**. aliisque satis tractata sunt.

III.

Potius ad ipsum thema controversum veniamus. Scilicet dubitatur, utrum relicta in testamento obiectum transactionis esse possint? Causam dubitationi dedit maxime **G A I U S** Libro XVII ad Edictum provinc. in **L. 6. π. de transact.** Scripsérat: De his controversiis, quae ex testamento proficiuntur, **N E Q V E T R A N S I G I**, neque exquiri veritas aliter potest quam inspectis cognitisque verbis testamenti. Haud nego, multum in se difficultatis hoc **G A I I** caput habere, indeque mirum non esse, causam quoque et diuersae interpretationi, et diuersis opinionibus dedisse. Quid ergo? Non potest transigi de controversiis, i. quae ex testamento proficiuntur, quam inspectis cognitisque verbis testamenti: Sequeretur ergo: his perspectis cognitisque verbis posse transigi. Vbi vero dubia incertaque

sit tunc causa, quam certam habebimus definitamque ex verbis testamenti! Haec sane GAIUS meus fuisse non potuit, nisi eumdem simul accusare velimus ignorantiae, quod contra omnem transactionis ideam naturamque quid affirmasset, quae tamen criminatio vix GAIUS citra falsi crimen obici posset. Constat vero sibi est GAIUS in L. 1. pr. et §. 1.
 zu Testam. quemad aperte Postquam enim verba Edicti Praetoris posuerat, quin tabulas testamenti inspicere atque describere, desideranti describendi inspiciendique potestatem promittit, i pergit: Ratio autem huius Edicti manifesta est; neque enim sine iudice transfigi, neque apud iudicem exquiri veritas de his controversiis, quae ex testamento proficerentur, ALITER potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. Est hoc fragmentum eiusdem Libri ad Edict. Prouinc. ex quo L. 6. desumpta. Manifestissimum itaque est, prohiberi transactiones super controversiis quae ex testamento proficerentur, sive de relictis testamento, quae litis et controversiae sunt obiectum. Neque forsitan est, quod tot iurgia mouerint Doctri Homines, dummodo sciamus, ex qualis specie vel lege Edicti sui rationem, quam manifestam vocat GAIUS hauserit.

Opinio et labores querendam, maxime Noodii, videlicet
 Haud omnes excitabo, qui de hac scripsere controversia hasque leges interpretati, inter quos ANT SCHVLTINGIUS Diff. super controversiis, quae ex ultinis voluntatibus proficerentur, etiam non inspectis vel cognitis illarum verbis recte ineunda. GUNDLINGIUS dr. Transact.
 super

super testamento relictis simul eminent. Memini quoque
 me legisse, de hac controvèrsia egisse ICtum Harderou-
 censio[n]e CROEDERVM in Olseni. Iur. Civil. p. 51. cuius
 tamen labore frui mihi haud contigit. Quorundam saltem
 opiniones adducere liceat, eorumque argumenta examina-
 re, antequam, quae nostra sit sententia dicamus. Ex-
 actius satis tractauit hanc causam GERH. NOODTIVS in
Tn. de Pactis et Transactionib. Cap. XVIII. Arbitratur,
 grati tempore licitam fuisse transactionem de controvèr-
 siis ex testamento proficiscentibus, non inspectis cognitis
 que eius verbis, neque eam GAIUS mentem fuisse, quam
 praeficerant verba, et esse voluerint Iuris Architecti.
 Sed quam velle probasset hanc suam sententiam vel ali-
 qua autoritate, vix enim idonea probatio est, cum putet
 non esse alienum a Iuris ratione, litis timorem vel in hac spe-
 cie partium consensu bona fide sponeri, et sponsum non resufci-
 tari praetextu testamenti ante non inspecti aut cogniti. Neque
 Edictum Praetoris promittentis, se seruaturum pacta, neque
 dolo malo neque aduersis leges, aut in fraudem legum facta,
 NOODTIO succurrere potest. Quid enim si eiusmodi trans-
 actionem, quam GAIUS improbare videtur, fraudem facere
 legi dicamus; Testamentum enim lex est, cui fraudem facile fa-
 cere transactio potest, quod efficit, ne ei legi pareatur. Quae
 ergo sit GAIUS sententia, si ea quam praferunt verba non est?
 Fugituum GAI caput censet NOODTIVS Iurisque Architectos
 accusat, quod incongruo loco ab iis positum sit. Cum
 enim L.I.π. testam. quemad. aper. ex eodem GAI libro desum-
 ta, consequitur pertinere ad Edictum De tabulis aperiendis. Et

soif

B 3

haec

haec bene. Sed quid amplius? Ergone hoc caput non pro-
 hibet transactiones testamenti tabulis non inspectis? Ita
 sane censet G E R H A R D U S, Ceterum quidem cum Praetori in-
 spiciendi describendique potestatem promisisset, subsequen-
 tia verba non a Proconsule prouenientia esse, scilicet Ratio
 autem Edicti manifesta est, caet. sed ipsius G A I I, quibus
 indicare velit, Praetorem ideo promittere potestatem in-
 spiciendi describendique, ut si postea velint de testamento
 litigare, apud iudicem possit exquiri veritas; si nolint, sine
 Iudice possit transigi controversia. Satis ingeniose, dum
 modo cum ipsis verbis conspiraret haecce interpretationis
 Equidem largior, G A I I esse verba, quae interpretationis
 causa subiecerat Edicto, quod prioribus capitulis verbis reti-
 lerat; sed de eo non constat, an sinecū, cuius causa Edictum
 proposuerat Proconsul, dederat G A I V S, an causam quae
 mouerat Proconsulem, cur hoc Edictum ita proposuerit.
 Prior sententia N O O D T I O placet, posterior mihi. Quid
 enim, si N O O D T I O sequamur, transigamus tabulis in-
 spectis cognitique verbis, quum amplius dubiam incertamque
 haud habemus causam. B At p. viii me-
 morio continetur quod
 et sic est in libro i Continuatio sententiae N o o d t i o s. T. regi
 one. Aliam rationem ipsum et N O O D T I O in eo depre-
 hendit, quod cum non sint verba Edicti, sed G A I I,
 hunc vero priuatum Iureconsultum, qui nec leges scriberet
 potuerit, sed factas interpretari, neque ita scriberes qui-
 dem, ut crediderit, transigere non licere, nisi prius
 apertis cognitique testamenti verbis. At p. viii me-
 morio continetur quod
 hoc

hoc argumentum moueret, ut NOOTIO subscriberem.
 Quis enim negat, ea quae ex scriptis Iuribus deducuntur
 a ICto priuato, iuris esse, quamquam certissimum sit, Iure-
 consilium nomothetam non esse. Non ergo adfirmarem,
 quod adhuc *Ant. FABER in Rationib. GAIUM* tan-
 tum de facto non de Iure locutum esse; seu quod idem
 forsitan, *GAIUM* suasisse tantum, ne quis transfigat, nisi
 inspectis testamenti tabulis. Prouocant qui consilium ha-
 bent *L. 6. ad L. 12. n. de transact.* inter quos *Alex. Arn.*
PAGENSTECHERVS in Siciliment. ad Lauterb. Manip.
IV. p. 60. Sed audiamus ipsum CELSVUM an a CAIO
 vere dissentiat. *Non est ferendus, inquit, qui generaliter in*
bis, quae testamento relictæ sunt, transegerat, si postea car-
setur, de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti; ac
non etiam quod posteriore legatum sit. Si tamen postea codi-
cilli proferuntur, non improbe mibi dicturus videtur, de eo
duntaxat se cogitasse, quo illarum tabularum, quas tunc no-
nerat, scriptura contineretur. Sane non per video, ex hoc
 capite transactum fuisse inter partes tabulis non apertis.
 Neque vero negat GAIUS transfigere super relictis in te-
 stamento, sed negat tantum tabulis non apertis testamenti.
 Neque disputat CELSVS de modo transfigendi super re-
 licitis in testamento, sed de transactione rite inita recte in-
 terpretanda, et confirmat potius contrariam opinionem,
 quippe putat, transactionem validam haud esse super re-
 licitis in codicillis, quæ inspectae non fuerant, eum postea
 proferrentur.

Interpretatio Pragmaticorum quorundam.

Iam contrariam examinabimus interpretationem, cui et forum inhaerere videtur. Ajunt, prohibitam esse transactionem tabulis testamenti non apertis, inque suam aduocant causam GAIUM, e quorum numero est inter alios LAVTERBACH, in *Compend. Pandect. Tit. de transact.* MENCKEN in *Theor. et Prax. Pandect. tit. eod.* qui quo magis confirmet hanc interpretationem, ponderis causa addit iudicatum Curiae Supremae Prouincialis Lipsiensis, et alii etiam ex iis, qui non delectantur rebus iudicatis, sed qui magis ex legibus sapiunt, e quorum numero esse videtur BACHOV ad *Trentlerum Vol. I Disp. VII Th. IV. Lit. E.* Adducta enim sententia Aenil. FERETTI et Iac. CVIACII nec non ex parte ab Ant. FABRO quem supra adduximus refutata, qui tamen omnes consilium inuenierant in GAI capite utroque, ipsemef fori sententiam allegat, arque argumenta, quibus haec nitatur sententia adducit. De singulis videamus.

Rationes et argumenta huius interpretationis.
Ait BACHOVIVS: Esse hoc statutum, *I. Odio testamento occultantium* et inde lucrum captantium. Forsan non improbabilis haec causa, modo probaretur fons iuris cui niteretur haec prohibito. Vbi ergo nec lege, nec SCto, nec aliqua Constitutione id introductum, sequitur magis ex argumento iuris odio erga occultantes testamenta receptam fuisse hanc GAI opinionem. Pergit ad

ad II. causam: *Quod publice inter sit exitum habere supremas voluntates*, quae alias per huiusmodi transactiones circumue- nirentur. Sed non omnino veram esse hanc causam, vel inde coniicio, quod et transactione interposita morientis ultima voluntas conseruari poterat, quae forsan exitum haud habuisset si transactio interposita non fuisset. Quid enim si causas impugnandi testamentum ex ipso testamento petiisset legitimus heres, qui dein, transactione interposita, heredi testamentario concedit successionem, quis dubitat, transactione seruari testamentum, et sic exitum habere. Deducit amplius BACHOVIVS argumentum ex prohibita transactione super alimentis futuris, quam quidem comparationem ego non per video. Nam in transactione super controv ersis ex testamento prouenientibus haud quisquam laeditur, nec quidquam forsan detrimenti exinde patitur res publica, qualiter vel decidatur, vel transactione finiatur lis. At si de alimentis quaestio, tunc non tantum expressa adest prohibitio, verum si quis transigat priuatim de alimentis, metuendum, ne postea oneri fiat reipublicae, si parum curiosus fuerat in transigendo, qui, nisi transegisset, nunquam grauis extitisset reipublicae. Sed haec tantum his obiicio rationibus, qui tamen non omnino sententiam ipsam reprobabo.

VIII.

Transitio ad interpretationem.

Quid ergo faciamus GAIIO, cum nec eam sententiam comprobemus, quae suasioni legem facit vel consilium, nec eam, quae prohibituum ius exinde efficit? Sed

C

non

❖ ❖ ❖

non omnia improbamus, quae ad hoc caput interpretandum dicta sunt. Sane, omnibus ex omni parte excusis rationibus, arbitror, prohibituam quandam sententiam defendisse G A I V M nostrum, atque negasse priuatas illas transactiones tabulis non inspectis validas esse. Quodsi enim verba ipsa et Cap. 6. π. de transact. et Cap. I. π. testam. quemad. aperiant. inspiciamus, tam plane loquitur I C t u s, vt nesciam, vnde vel aliqua coniectura, consilium in his latitare verbis, probari possit. Si enim verum est, quod recte mihi videntur adserere, egiſſe G A I V M de Edicto, quo praetor, vel proconsul promittit, se daturum facultatem inspiciendi describendique testamenti tabulas desiderantibus, quaero: quomodo dixisset G A I V S: de his Controversiis, quae ex testamento proficiuntur, **N E Q V E T R A N S I G I**, **N E Q V E E X Q V I R I V E R I T A S A L I T E R P O T E S T**, quam inspectis cognitisque verbis testamenti? Obseruaui, I C t o s veteres suas habere formulas, ex quibus statim apparere potest, an consilium dent, an de iure scribant vel respondeant. Sic saepe verba: *magis est, melius est, honestius fecerit*, et alia indicant, consilium dare I C t u m, non aequi ius referre. At G A I I verba simpliciter prolata: *non transigi aliter potest*, vt inde appareat, eundem monuisse, quid de Iure sentiat. Alteram addimus Legem. Ratio huius Edicti est manifesta, neque enim sine iudice transigi, neque apud iudicem exquiri veritas, de his contoversiis, quae ex testamento, proficerentur **A L I T E R P O T E S T**, quam inspectis cognitisque verbis testamenti, Quis ex his verbis efficiat consilium. Causalis particula

boni

enim

enim abunde testatur, in his verbis latere rationem, quae vel mouerit Proconsulem ad edicendum, vel ad quem finem ita edixerit? nam cum neque possit transfigi, quam inspectis testamenti verbis, neque exquiri apud iudicem veritas, hoc est secundum veram intentionem testatoris lis decidi, Praetor promisit, se daturum facultatem inspicendi describendique testamenti tabulas.

IX.

Accuratio opinionis exposito.

Dein utroque capite expresse GAIUS statuit *NON ALITER transfigi posse, quam cognitis testamenti verbis.* Concludo ergo: Si non aliter transfigi potest, quam inspectis testamenti verbis, sequitur, omnem transactionem ante apertas testamenti tabulas nullam esse. Confirmat hanc interpretationem LEO Basilius^m Tom. I. Edit. Fabrott. p. 77. qui eadem verba simpliciter prohibitiue exprimit: Περὶ τῶν ἐν διαθήμης φιλοκείων ἔχόντων οὔτε ΔΙΑΔΥΣΘΑΙ ΔΥΝΑΤΟΝ, οὔτε τὸ ἀληθὲς γητεῖσθαι μὴ προνομιζομένον τῶν τῆς διαθήμης ἔχοντων. De controversiis ex testamento venientibus, neque transfigi possibile, neque exquiri veritas, quam prolatis verbis testamenti. Et L. I. testam. quemad. aperiant. LEO Basilius^m Lib. XXXV. Tit. VI. Tom. IV. Ed. Fabrott. p. 78. exhibet: Χωρὶς γάρ τοῦ προενεχθῆνας ἀντὴν (sc. διαθήμην,) οὔτε ἔξω διατηρησίου διαλύεσθαι περὶ τῶν ἐν ἀντῃ, οὔτε ἐν διατηρησίᾳ γητεῖσθαι τὸ αληθὲς ΔΥΝΑΤΑΙ i. e. Nam absque prolato testamento, nec extra iudicium transfigi de his, quae in eo continentur, neque in iudicio veritas exquiri potest. Nullum in utroque textu consilium, bene vero prohibitio:

◆ ◆ ◆

non possibile est transfigi; neque extra iudicium transfigi potest.
 Satis exprimunt, cum haud possibilis sit transactio non inspectis tabulis, neque ex facta tunc transactione obligacionem oriri posse. Quae ergo, si accurate omnia attenduntur, facile patet, GAIUS mentem fuisse, impossibile fuisse et transfigere et controuertere seu litigare de causa aliqua ex testamento veniente controversa, priusquam tabulae testamenti apertae. Verba enim; *inspectis cognitisque verbis testamenti* vix aliud quidquam significare possunt, quam aperire testamenti tabulas. Confirmat me ipse GAIUS, qui statim subiicit; *Si quis neget sigillum suum agnoscere, non ideo quidem minus APERIVNTVR tabulae, sed alias suspectae sunt.* Videtur SCHOLIASTES ad Basiliū loc. prior, quasi in *paratitulo* vel magis *epitome* hoc quoque iudicasse. Verba sunt: "Ητο πρὸ τοῦ ἀνογύην τὴν διαθήην, οὐ δίνεται τις διαλύεσθαι. Antequam aperiatur testamentum, non potest quis transfigere. Verba enim μὴ προκομιζομένων τῶν τῆς διαθήης ἔμμάτων apud scholiastem exprimunt πρὸ τοῦ ἀνογύην. Haec haec tenus. Sed iam difficilior quaestio; quae videlicet huius prohibitionis causa?

X.

2 Argumenta pro interpretatione.

Difficile esse causam reperire, qua, quam deditimus interpretationem verbis legum, ut quidem nobis videtur, admodum conuenientem, confirmare queamus, haud inficias eo. Diximus, negasse GAIUM, quemquam posse transfigere tabulis testamenti non apertis inspectisque. Hanc quo-

quoque causam mouisse Praetorem, vt facultatem inspi-
ciendi describendique desideranti promitteret, quod non
posset, nisi prius apertis testamenti tabulis. Certum est,
legem aliquam, aut SCtum, vel Constitutionem princi-
pis, haud adfuisse, qua prohibita, expressis verbis trans-
actio. At videamus, an adfuerint argumenta ex iure peti-
ta, quae potuerint moueré G A I V M, vt impossibilem trans-
actionem putaret, non inspectis verbis testamenti. Po-
terat vel ipsa lex Papia Poppaea, eiusque, quae de Caducis
agebat pars multam continere causam, poterant et aliae
forsitan legum causae prohibitiue sententiae rationem con-
tinere. Omnis enim controversia, quae ex testamento
proueniebat, seu quae testatam hereditatem respiciebat,
semper cum herede agitanda erat. Patet, heredem nunquam
adfuisse, nisi prius apertis tabulis, cum hoc deinceps, vel
causa in iudicio tractanda, vel propter euentum litis dubi-
um, quem alter expectare nollet, transactione sopienda.
Quam enim absurdum fuisset, transfigere de lite ex testa-
mento proueniente, cum nondum constet, quis heres sit,
et cum quo transactio ineunda fuerit. Praeterea, qui fieri
poterat, vt transactio valida fuerit, quae obiectum habebat
legatum, fideicommissum, tabulis nondum apertis nec adita
hereditate, cum vel illud posset caducum esse, vel ut indigno
aferri. Debeat ergo ex tabulis inspectis prius patere,
quis heres, maxime cum ex lege viceimaria intra tres vel
quinque dies tabulae aperienda essem, propter heredita-
tium viceimam.

Recte ergo dixerat GAIUS, non poterat transfigi, nisi inspectis tabulis, de controuersia aliqua, quae ex testamento proueniebat, quippe his apertis demum litium causae oriebantur. De his enim tantum controuersiis loquitur GAIUS, quae ex testamento proficisciabantur, quae ante eas apertas adhuc ignorabantur. Est et aliqua iuris ratio. Cum enim Romani ultimarum voluntatum conseruandarum studiosissimi essent, non poterat non fieri, ut prius ipsas tabulas inspicerent, an euitari controuersia posset. Re enim ex testamento aperto patescet atque certa, nec lis aderat apud iudicem tractanda, nec ad eius evenitum dubium euitandum transactio. Quod si vero apparet controuersia ex testamento aperto, tunc vel veritas ex tabulis ipsis coram iudice exquirenda, vel transactione lis sponienda. Ita, si sensum verborum capimus, plane contrarium esset regulis interpretationis, ex verbis GAII consilium efficere, quasi quidem concessisset, posse transfigi de controuersiis ex testamento proficiscentibus, sed rectius meliusque facturas partes, si prius tabularum testamenti verba inspicerent, quippe ex his statim ipsa veritas haberi posset. Repeto, sed tunc nec lis apud iudicem fuit, nec transactio cogitari potuisse, cum de rebus certis, quales sunt, quae ex verbis testamenti apparent, nunquam transfigimus, sed solum, si ita videtur, paciscimur.

XII.

Obiectio et refutatio.

Sed obiiciunt forsan aduersarii: Ita non minus certa est causa apertis tabulis ex vestra sententia. Repono. Non utique; nam loquitur GAIUS de controvrsiis ex testamento proficiscientibus, non in genere, de relictis in eo. Quod si enim ea, quae relicta, certa atque indubia essent, quid opus iurgio, quidue transactione? Sed vult saltem, vt prius aperiantur tabulae, partim, vt ex his appareat, cum quo vel lis inchoanda, vel transactio incunda sit, partim, vt aperitis tabulis contingat, vt controvrsia oriatur. Non ergo in eum euentum verba testamenti inspici vult GAIUS, vt evitetur lis vel transactio, sed quia prius lis esse ex testamento non posset. Et quo is, qui vel putabat, sibi quid relictum in testamento esse, vel quod audiuerat ex testibus, vel quod olim testator promiserat, quo demum sciret, cum quo ageret; et an melius sit transactione causam finire, promittebat Praetor inspiciendi describendique testamenti facultatem.

XIII.

Quid ex Iustiniani intentione sentiendum?

Caeterum non omnino nego, forsitan ex IUSTINIACATE, hoc GAIUS caput simpliciter, et prohibitionem habitam ob auctoritatem sanctitatemque ultimarum voluntatum morientium. *Testamentum* enim semper auctoritatem legis singularis familiae obtinuit, imagine populi Romani interueniente. Obsequium vero legibus praestare prima semper ciuium cura. Quid ergo mirum, si et generaliter

neraliter hoc G A II fragmentum pro prohibitione intellexisset Imperator, qui vellet, ne a legibus familiarum priuatis, vel litigando vel transfigendo recederent ii, quos obligatos ex testamento voluerat testator nomotheta. Potius ergo, si quae quaestio controuersa orta de bonis relietis defuncti, prius inspicienda verba testamenti, an ex his veritas exquiri possit, ad quae semper, lite orta, respicendum, et si ex his forsitan dubitaret, tunc ad transactionem partes venirent. Et ita quoque mihi videtur sententia fori comparata, quae transactiones prius fieri non permittit, nisi inspectis testamenti tabulis.

XIII.

Transactio quedam non extantibus tabulis in valida.

At quid! si quidem testamentum adfuerit, sed testamenti tabulae amplius non extent, neque ergo inspici possint, an et tunc *prohibita sit transactio?* Hic equidem facile apparet, G A II nostri prohibitionem tam vniuersalem haud esse posse, ut omnem transactionem et in hoc themate improbet, sed arbitror potius, nihil obstat, quominus iuste transactio fiat. Quod si enim aliunde constet, adfuisse testamenti tabulas, inque iis heredem scriptum legataque varia relicta, non dubitandum, diuersis causis transactiones valide iniri posse de controvensis circa relicta in testamento. At themata distinguenda videntur. Nam si quidem constet, adfuisse testamentum, sed omnes ignorare, quis in eo heres institutus fuerit, licet Titius legatum sibi relictum fuisse probet, tamen neque ipsi agendi ius erit, neque habebit, cum quo transfigat. Sicuti enim tunc, cum igno-

ignoretur heres, causa redate ad successionem intestatam, legatario, contra eum, qui ex testamento non succedit, actio dari nequit; non enim ex ea lege obligatur, ex qua obligatus esse debebat, si Titio legatum soluendum esset. Deficere enim videtur heres, siveque testamentum quasi destitutum sit, quo simul legata corruunt, teste GAIO nostro in L. 17. π. si quis Omiss. causa. Nullam igitur habet controv ersiam, super qua transfigere potest. Ast si velit heres intestatus conuenire cum eo, qui ex testamento legatum aliquod petere potuisset, eique aliquid concedere, liberalitas est, quae in se quidem prohibita non est, non vero transactione ea, quae ad nostram causam spectat.

XV.

Transactio valida tabulis amplius non extantibus ex quibus adita hereditas.

Sed si quidem adsit heres ex testamento, quique adierit hereditatem, antequam vero legatarius legatum sibi relictum esse experiatur, tabulae testamenti intereant, an verbis testamenti haud cognitis liceat transigere cum herede testamentario: et dubitandum non est. Quod si enim ex eo testamento adierit hereditatem, obligatur simul adeundo legatariis fideique commissariis ad legata et fideicomissa soluenda. Si itaque alter probare possit, sibi in eodem testamento relictum esse legatum, cum salua eidem esse debat actio ex testamento ad legatum petendum, si malit ambages litis dubiumue eventum euitare, transactione oblata consentiat, nulla causa est, quod vim transactioni interpositae negemus. Quamuis quidem testamentum inspicere non amplius valeat legatarius, cum tabulae non extent, tamen

D

antea

antea apertae sint illae ipsae tabulae, atque ex iis apparuerit, quis heres, quem conuenire possit, et sic dubitari non licet, recte de causa dubia transactum fuisse.

XVI.

An transfigere licet cum bonorum possessore non extantibus tabulis,

Tandem aliud thema controv ersum hoc erit, videlicet, si testamentum quidem testator considerat, quod et eius morte exiterat, postea interierat, heres vero in eo testamento scriptus, autore Praetore bonorum possessionem obtinuerat, quam concedebat Praetor, si probasset, se in eo testamento heredem scriptum fuisse. Saltem ita testatur P A U L V S in L. vniq[ue] p[er] s. si tabul. test. extab. Nam et si inquit, mortis tempore tabulae fuerint, licet postea interierint, competit et bonorum possessio; quia verum fuit tabulas extare. Titio in eo ipso testamento amisso, ex quo Caius bonorum possessionem obtinuerat, legatum reliquum erat. Hic Titius iis testibus, qui testamento interfuerant, probare potest, sibi legatum reliquum fuisse, et iam quaeritur, an transactionem iniri possit, tabulis non inspectis, cum bonorum possessore? Si dicendum, quod res est, haud ambigendam, utique validam illam fore transactionem, nec G A I U M repugnare. Sicuti enim hic de eo themate agit, cum tabulac testamenti extent, ita ad praefens thema extendi nequit. Cum enim bonorum possessor Caius hoc amissum testamentum agnouerit petendo bonorum possessionem, simulque obligauerit se ad omnia praestanda, quae in eo testamento scripta fuerant, si postea Titius legatum sibi reliquum in eo probet, dubitandum non est, utiliter eundem ex testa-

testamento ad soluendum legatum conueniri posse. Habet ergo controuersiam ex testamento. Quod si vero malit, cum dubius sit adhuc euentus litis, an obtenturus sit legatum, transfigere super illam item cum Caio, sane nulla causa superest, ex qua amplius haec impugnari possit transactio.

XVII.

E p i l o g u s .

Apparuit ergo, tabulis extantibus non licere transigere, nisi prius inspectis apertisque tabulis, neque errare forum, si hanc sequatur sententiam, quamvis forsan ex falsa causa; adesse tamen themata, quibus transactio valida, tabulis etiam non inspectis. Neque nego, posse et alia esse themata, in quibus, tabulis non inspectis, tamen transactio fieri possit. Sed nihil addo. Satis est, nos interpretatione vindicasse interpretationem et legis autoritatem, quam praetextu consilii infirmabant docti homines. Et sicut nec quod scriptum iam erat, repetere animus erat, ita vel praetermissa vel addenda sunt, quae diximus; sed Lector Beniuole, iuuenilem laborem, rogo, iudices non ex stricta arte, sed ex aequo, sed ex bono. Quidni huie quid indulgendum aetati iuuenili, vir aliquando meliora forsan damus.


T A N T V M .

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
IOANNI ERNESTO GOTTLLOB
STIEHLER

S. D. P.

P R A E S E S.

Fateor, me summa cum voluptate animi percepisse, cum me comitem
sociumque eligeres, qui in edendo doctrinae atque scientiarum spe-
cime et in reddendis vitae Academicae bene transactae publicis rationibus
TIBI simul praefeo sim. Qui TVAE diligentiae quotidianus fere te-
stis fui, eo tubentius hoc suscepi, quo certius eram, TE utique laudem
et gloriam consecuturum. Obtulisti libellum proprio marte scriptum, nec
dubitauit eius defensorem simul agere, cum nihil inuenirem quod non ali-
quo modo defendi posset. Ascende ergo Themidis cathedram, ostende TE
eorum numero adscriendum, de quibus non patria tantum cuncta sperat,
sed qui nati quoque patriae videntur. Gratulor itaque ex animo hoc pri-
mum premium TVAE diligentiae TVORVMque studiorum, simulque
DEVM O. M. precor, velit TE ad ea ducere, quae ad veram felici-
tatem TVAM faciunt, Conseruet TE TVOSque Optimos Parentes
vtrosque honestissimos antiquaque fide venerabiles omnemque TVAM fa-
miliam, quibus simul gratulor et filium et fratrem optime educatum et
omnibus scientiis artibusque liberalibus bene exornatum, quo Tumet ipse
diuturna felicitate perfrui possis. Caeterum fac, vt me, quem hancen
amastr, cum nos patria iungit Lipsia, amor perpetuus iungat, TVQUS me
amare non desinas. de me vero persuadeas velim, nihil mibi TVO amo-
re TVAque amicitia suauius quam fore, imo nullum officiorum genus
futurum, quod non tubens idque sponte TVI causa susciperem. Ita vale
feliciter. Dab. Lipsiae d. XXIII. Mart. MDCCCLXVIII.



ULB Halle
005 880 491

3



ND18





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-429562-p0032-6

DFG



16
DISSE^TAT^O IVRIS CIVILIS
DE

TRANSACTIONE
SUPER RELICTIS IN TESTAMENTO
TABVLIS NON INSPECTIS

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ET SOCIETAT. LITER. DVSEBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXIII. MARTII ANNO CICICCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVTOR ET RESPONDENS

DANNES ERNESTVS GOTTL^OB STIEHLER

LIPSIENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Pri. 67 num. 1
1768, 26.